OFFICIUM IN FESTO PATROCINII S. JOSEPH CONFESS. SPONSI B. MARIÆ VIRGINIS.

DUPLEX.

AD VESPERAS.

Aña. Jacob autem, *cum reliquis de Laudib. Psal.* Dixit Dñs. *cum reliquis de Dñca. & loco ult. Psal.* Laudate Dñm. omnes gentes.

Capit. Gen. 49. n. 26.

BEnedictiones patris tui confortatæ sunt Benedictionibus patrum ejus; donec veniret desiderium collium æternorum: Fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.

Hymnus.

TE, Joseph, celebrent agmina Cælitum,
Te cuncti resonent Christiadum Chori,
Qui clarus meritis, junctus es inclytæ
Casto fœdere Virgini.
Almo cùm tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet
Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Ægypti profugum tu sequeris plagas;
Amissum, Solymis quæris, & invenis,
Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit:
Tu vivens, superis par, frueris Deo,
Mira sorte beatior.
Nobis, summa Trias, parce precantibus:
Da Joseph meritis sydera scandere:
Vt tandem liceat, nos tibi perpetim
Gratum promere Canticũ. Amen.

℣. Constituit eum Dñm. domus suæ. Alleluja.
℟. Et Principem omnis possessionis suæ. Alleluja.

Ad Magnif. Aña.

Cũ esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequã convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Alleluja.

Oratio.

DEus, qui ineffabili providentia B. Joseph SSmæ. Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es: Præsta quæsumus, ut quem Protectorem veneramur in terris, Intercessorem habere mereamur in Cælis. Qui vivis, &c. *Et fit Com. Dñca.*

Ad Matut. Invitat.

Laudemus Deum nostrum: * In veneratione B. Joseph Protectoris nostri. Allel.

Hym. Te, Joseph, celebrent agmina Cælitũ, *sicut in Vesp.*

IN I. NOCTVRN.

Aña. Angelus Dñi apparuit in somnis Joseph, dicẽs: Surge, & accipe puerũ, & matrẽ ejus, & fuge in Ægyptũ, & esto ibi, usque dum dicam tibi. Allel.

Ps. de 1. Noct. de Com. Cf. Põt.

℣. Confitebor nomini tuo. Alleluja.

℟. Quoniam adjutor, & Protector factus es mihi. Allel.

De libro Genesis.

Lectio i. Cap. 29. n. 1.

IGitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitq; eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, Princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarũ, à quibus perductus erat. Fuitq; Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens: habitavitque in domo Domini sui, qui optimè noverat, Dñm esse cum eo, & omnia, quæ gererentur ab eo, dirigi in manu illius: Invenitq; Joseph gratiã coram Domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & universa, quæ ei tradita fuerant: Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, & multiplicavit tam in ædibus, quàm in agris cunctam ejus substantiam: Nec quidquam alium noverat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, & decorus aspectu.

℟. Clamavit Populus ad Regem, alimenta petens: * Quibus ille respondit: Ite ad Joseph. Allel.

℣. Salus nostra in manu tua est, respice nos tantũ, & læti serviemus Regi. Quibus ille.

Lectio ii. Gen. c. 41. n. 27.

PLacuit Pharaonis consiliũ, & cunctis Ministris ejus, locutusq; est ad eos: Num invenire poterimus talem virũ, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia ostẽdit tibi Deus omnia, quæ locutus est, numquid sapientiorem, & consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meã, & ad tui oris imperium cunctus populus obedict;

dict: Vno tantum Regni solio te præcedam. Dixitq; rursus Pharao ad Joseph: Ecce cōstitui te super universam terram Ægypti. Tulitq; annulum de manu sua, & dedit eũ in manu ejus; vestivitq; eum stola byssina, & collo torquẽ auream circũposuit. Fecitq; eum ascendere super currum suum secundũ, clamāte præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.

℟. Fecit me Deus quasi patrẽ Regis, & Dominum universæ domus ejus: * Exaltavit me, ut salvos faceret multos populos. Allel.

℣. Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Exaltavit me.

Lectio iii. Gene. 41. n. 44.

DIxit quoque Rex ad Joseph: Ego sum Pharao. Absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitq; nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca Salvatorẽ mundi. Deditq; illi uxorem Asseneth filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaq; Joseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Regis Pharaonis) & circuivit omnes Regiones Ægypti. Venitque fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. Omnis etiã frugum abũdantia in singulis urbibus condita est. Tantaq; fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.

℟. Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. Non sum fraudatus aspectu tuo: * Insuper ostendit mihi Dominus semen tuum. Allel.

℣. Qui pascit me ab adolescentia mea, benedicat pueris istis; & invocetur super eos nomen meum. Insuper. Gloria Patri. Insuper.

IN II. NOCT.

Aña. Angelus Dñi. apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Alleluja.

Psal. secund. Noct. de Com. Conf. non Pont.

℣. Respice de Cælo, & vide, & visita vineam istam. Alleluja.
℟. Et perfice eam. Allel.

Sermo S. Bernardini Senens.
Serm. 1. de S. Joseph.

Lectio iv. in proœm.

OMnium singulariũ gratiarum alicui rationabili creaturæ communicatarũ, generalis regula est, quôd quandocumque divina gratia eligit aliquẽ ad aliquam gratiã singularẽ, seu ad aliquem sublimẽ statum, omnia charismata donat, quæ illi personæ sic electæ, & ejus officio necessaria sunt, atque illam copiosè decorãt. Quod maximè verificatum est in Sancto Joseph, putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, & vero Sponso Reginæ mundi, & Dominæ Angelorum, qui ab æterno Patre electus est fidelis Nutritius, atq; Custos principaliũ thesaurorũ suorum, scilicèt Filii ejus, & Sponsæ tuæ, quod officiũ fidelissimè prosecutus est. Cui propterea Dñs. ait: Serve bone, & fidelis, intra in gaudium Dñi. tui.

℟. Dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me: * Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Allel.

℣. Ego Protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Protector.

Lectio v. Art. 2. c. 2.

SI compares eum ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus, & specialis, per quem; & sub quo Christus est ordinatè, & honestè introductus in mundũ? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia Sancta debitrix est; quia per eã Christũ susciperet digna facta est: Sic profectò post eã huic debet gratiã, & reverentiam singularem. Ipse enim est clavis veteris Testamenti, in qua Patriarchalis, & Prophetalis dignitas promissum consequitur fructũ. Porrò hic est solus, qui corporaliter possedit, quod ejus Divina dignatio repromisit. Meritò igitur figuratur per illum Patriarcham Joseph, qui populis frumenta servavit. Sed & hic illũ præcellit, quia non solûm Ægyptiis panem corporalis vitæ, sed omnibus electis panem de Cælo, qui cælestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

℟. Statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis ejus morabitur, protegetur sub tegmine illius à fervore: * Et in gloria ejus requiescet. Alleluja.

℣. Sperate in eo omnis Congregatio populi, effundiet coram illo corda vestra. Et in gloria.

Lectio vi. Art. 3.

PRofectò dubitandum non est, quòd Christus familiaritatem, reverentiam, atq; sublimitatem

blimissimam dignitatẽ, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tanquã filius patre suo in Cælis utiq; non negavit, quin potiùs complevit, & consummavit. Vnde non immeritò in verbo proposito à Domino subinfertur: Intra in gaudiũ Domini tui. Vnde licèt gaudium æternæ beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dîcere: Intra in gaudiũ. Vt mysticè innuatur, quod gaudium illud non solùm in eo est intra, sed undique illum circundans, & absorbens, & ipsũ velut abyssus infinita submergens. Memento igitur nostri, Beate Joseph, & tuæ orationis suffragio apud tuum putativum Filiũ intercede: sed & Btam. Virginem Sponsam tuam nobis propitiã redde, quæ Mater est ejus, qui cum Patre, & Spiritu Sãcto vivit, & regnat per infinita sæcula sæculorũ Amẽ.

℞. Si consistant adversùs me castra, non timebit cor meũ. * Si exurgat adversũ me præliũ, in hoc ego sperabo. Allel. ℣. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si exurgat. Gloria Patri. Si exurgat.

IN III. NOCT.

Aña. Consurgens Joseph accepit puerum, & Matrẽ ejus, & venit in terram Israel, & habitavit in Civitate, quæ vocatur Nazareth. Allel.

Ps. ut in Com. Cf. non Pont.

℣. Invocavit Dominum Patrem Domini mei. Allel.

℞. Vt non derelinquat me in die tribulationis. Allel.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vii. Cap. 3.

IN illo tẽpore: Factũ est autẽ, cùm baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orãte, apertũ est Cælũ. Et reli.

Homilia S. Augustini Ep.

Lib. 2. de Consens. Evang. Cap. 1. & 3.

MAnifestum est illud, quod ait: Vt putabatur filius Joseph: Propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascũtur, natum arbitrantur. Quos autẽ movet, quòd alios progenitores Matthæus enumerat descendens à David usque ad Joseph, alios autẽ Lucas ascendẽs à Joseph usque ad David: Facile est, ut advertant, duos patres habere potuisse Joseph; unum â quo genitus, alterum â quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiã in illo populo Dei, ut sibi filios facerent, quos non ipsi genuissent. Vnde intelligitur Lucas patrẽ Joseph, nõ à quo genitus, sed à quo fuerat adoptatus

ptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursũ versùs commemorat, donec exiret ad David.

℟. Joseph fili David, noli timere accipere Mariã conjugẽ tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sãcto est; pariet autem filiũ. * Et vocabis nomen ejus Jesum. Alleluja.

℣. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Et vocabis.

Lectio viii.

CVm enim necesse sit, utroq; Evangelista vera narrante, & Matthæo scilicet, & Luca, ut unus eorũ ejus patris originem teneret, qui genuerat; alter ejus, qui adoptaverat Joseph, quẽ probabilius intelligimus, adoptãtis originem tenuisset, quàm eũ quo voluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narrabat? Matthæus autẽ dicens: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob: Atq; ita in hoc verbo, quod est genuit, perseverans, donec in ultimo diceret: Jacob autẽ genuit Joseph: Satis expressit, ad eũ patrẽ se perduxisse originem generantium, à quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat. Quamquã si etiam Lucas genitum diceret Joseph Heli, nec sic nos hoc verbũ perturbare deberet, ut aliud crederemus, quàm ab uno Evangelista gignentẽ, ab altero adoptantẽ patrẽ fuisse cõmemoratum. Neque enim absurdè quisq; dicitur, non carne, sed charitate genuisse, quẽ filium sibi adoptaverit. At verò etiã nos, quibus dedit Deus potestatẽ, filios ejus fieri, de natura, atq; substantiã suã non nos genuit, sicut unicũ Filium; sed utique dilectione adoptavit.

℟. Surge, & accipe puerũ, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum:

* Et esto ibi, usq; dum dicam tibi: Alleluja.

℣. Vt adimpleretur, quod dictũ est à Dñõ. per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Et esto. Gloria Patri. Et esto.

Nona Lectio dicitur de Homilia Dñcæ. tertia.

AD LAVDES,

Et per Horas. Aña.

JAcob autẽ genuit Joseph, virũ Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Allel.

Ps. Dñs. regnavit, *cum reliquis de Dñca.*

Aña Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatẽ Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Allel.

Aña.

Aña. Ascendit autē Joseph à Galilæa de Civitate Nazareth, in Judæã in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem. Alleluja.

Aña. Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio Alleluja, alleluj.

Aña. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorũ triginta, ut putabatur filius Joseph. Alleluja.

Capitulum. Gen. 49. n. 26.

BEnedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum: Fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi fratres suos. *Hymnus.*

COElitum Joseph decus, atque nostræ
Certa spes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus, benignus Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicæ
Virginis Sponsum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit, & ministrum Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,
Quem chorus Vatum cecinit futurum,
Aspicis gaudens, humilisque natum Numen adoras.

Rex Deus Regum dominator orbis
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur Æther,
Se tibi subdit.

Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens superos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitæ. Amen.

℣. Dedisti mihi protectionē salutis tuæ. Alleluja.

℟. Et dextera tua suscepit me, Alleluja.

Ad Benedictus, Aña.

Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Alleluja.

Oratio.

DEus, qui ineffabili providentia, &c.

Et fit Com. Dñca.

Ad Tert. Aña. Missus est.

Capitulum.

Benedictiones patris tui, &c.

℟. *brev.* Constituit eum Dominum domus suæ. * Alleluja, allel. Constituit eum, &c.

℟. Et Principē omnis possessionis suæ. Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Constituit.

℣. Confitebor nomini tuo. Alleluja.

℟. Quoniã adjutor, & Protector

ctor factus es mihi. Alleluja.

Ad Sextam, Aña.

Ascendit autem.

Capit. Gen. 49. n. 25.

DEus patris tui erit adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus Cæli desuper.

℟. *br.* Confitebor nomini tuo. * Allel. allel. Confitebor.

℟. Quoniã adjutor, & Protector factus es mihi. Alleluja, allel. Gloria Patri. Cõfitebor.

℣. Justus germinabit sicut lilium. Alleluja.

℟. Et florebit in æternum ante Dominum. Alleluja.

Ad Non. Aña. Et ipse Jesus.

Capit. Gen. 49. n. 22.

FIlius accrescens Joseph, filius accrescens, & decorus aspectu: Filiæ discurrerunt super murum.

℟. *br.* Justus germinabit sicut lilium. * Alleluja, alleluja. Justus germinabit.

℣. Et florebit in æternũ ante Dominum. Allel. allel. Gloria Patri. Justus.

℣. Plantatus in Domo Dñi. Alleluja.

℟. In atriis domus Dei nostri. Alleluja.

In secundis Vesp. omnia ut in primis, exceptis sequentibus.

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram sedi. Alleluja.

℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo. Alleluja.

Ad Magnif. Aña.

Fili, quid fecisti nobis? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Alleluja.

Oratio, ut suprà.

HISPALENSIS.

POrrectis nomine Decani, Cantoris, & Capituli Metropolitanæ Hispalensis humillimis precibus, quibus pro extensione Officii proprii, & Missæ Patrocinii S. Joseph ad illius Civitatẽ, ac universam Diœcesim enixè supplicatũ fuit, illisq; in Sac. Rit. Congreg. relatis, Sac. eadem Congr. gratiam in similibus factã extendendo petitũ Officiũ, aliàs approbatũ singulis annis Dñca tertia post Pascha Resurrectionis Dñi. ab universo Clero Seculari, & Regulari præfatæ Civitatis, ac Diœcesis sub ritu duplici recitari, ac Missam respectivè celebrari posse, benignè indulsit, atque concessit. Die 12. Julii 1727.

F. Card. Cosia.

Loco ✠ sigilli.

N. M. Tedeschi. Archiep. Apam. Sac. Rit. Cong. Sec.

ctor fact
A
Ascend
Cap
DEus
tu
nedicet
Cæli de
℟ br. C
℣ Allel
℟. Qu
ctor fa
allel. C
℣. Ju
lilium
℟. Et
te Do
Ad N
C
FIli
li
aspe

P°

prop
ver
rela
titu
Re
sat
pe
Ju

Lo


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm